

## 5. Osiander an die Strafsburger <sup>1</sup>.

c. Ende April 1524.

Optimis viris D. suis Volphango (so) Fabricio Capitonni, Martino Bucero, Matthiae <sup>2</sup> Zello Christi servis et Argentorati Evangelistis in Dño diligendis <sup>3</sup>.

Gratiam et pacem a deo patre et Domino nostro Jesu Christo, amen. Non dubito, fratres in domino charissimi, quin magna vos admiratio teneat, cum toties vestris me literis dignati sitis measque rursum tam diligenter provocaveritis, quid causae fuerit quo minus huc usque responderim. Ego vero, ut ingenue fateor, quemadmodum nonnihil meae negligentiae, qui literis scribendis non admodum delector, imputandum scio, ita iudicio quoque nonnullo abstinui. Quid enim facerem? scriberem leta, tranquilla, pacata, verbi dei apud nos sinceritatem, victoriam, fructus? At neque hostibus iisque genuinis et atrocissimis carebamus, quorum alteri potentes, nobiles et mundi principes, alteri domestici, subdoli, operarii iniquitatis, qui sub praetextu benevolentiae hostilia cogitabant, neque fructus illos sinceri verbi dei et fidei nostrae ferebamus, nempe mutuam charitatem et patientiam. Sed quod pessimum videbatur mihi, inter verbum Dei et hominum mendatia fluctuabamus atque ferebamur solliciti, suspensis in salicibus organis illis <sup>4</sup>, quibus in petram edificati, prae exultatione cordis erumpentes, laudant Dominum. Annunciarem tristitia et ut res ipsa videbatur? At timebam, ne vos qui bene currebatis et etiam nunc curritis, vel prae pussillanimitate respiceretis, vel prae christiana charitate dolore afficeremini, quorum alterum vobis damno, alterum vero nobis inutile fuisset. Nunc vero, cum et

1) Dies ist der Brief, den Möller in seinem Osiander S. 13 ff. benutzt hat und von dem er ebendas. S. VI berichtet, daß er Abschrift desselben der Güte von Prof. Baum in Strafsburg zu danken hatte. Mein jetzt verstorbener Kollege hatte mir schon längst die Absicht ausgesprochen, den Brief vollständig zu veröffentlichen. Bei der Ordnung seines handschriftlichen Nachlasses fiel mir die Baum'sche Kopie in die Hände; so erfülle ich einen Wunsch Möller's, wenn ich für den Druck des Dokumentes Sorge trage. Die lateinischen Anmerkungen stammen von Baum, die anderen sind von mir hinzugefügt. „Autographum mea extat in bibliotheca inter alia a Doctissi: Viri Matthiae Graf pastoris quondam Mulhusani haeredibus pretio comparata.“

2) Praenomen eius erat Matthaeus in quo multi alioqui errant alii. Vulgo appellabatur: Meister Matthis, quod multi Matthias interpretati sunt, sed perperam.

3) Addidit in tergo Capito sua manu: „Andreas Ossiander ex Nürnberga“.

4) Ps. 137, 2.

juditium Dei, sinceritas verbi et fructus, non modo spes et flos, verum etiam maturitas apparuerint, tacere amplius non libet. Ipsi enim quanto magis verbo restiterunt, tanto fortius et praedicatum est, et copiosiores fructus attulit; quanto acerbius irascabantur, tanto minus videre potuerunt, quid in nobis accusarent, ut jam plane didicerimus quod propheta dixit: „Inite consilium et dissipabitur, quod dominus nobiscum“<sup>1</sup>. Postridie enim eius diei quo Cardinalis legatus urbem nostram ingressus esset<sup>2</sup>, mihi tractanda erant verba 1 Joh. 2: „Sicut audistis quod Antichristus venit ect.“, ubi collatis omnibus scripture de Antichristo locis recitabam, quid esset in vero, nullam addens omnino interpretationem rei per se quam lucidissimae. Tantumque lucis populo affulsit, ut deinde ultro postularent, quid de Confessione sentiendum et in communione quid tenendum esset. Duobus sermonibus Sabbatho ante Palmarum et in die Palmarum<sup>3</sup> confessionem clanculariam eliminavi, servata tamen potestate dimittendi peccata, sed his verbis Christi limitata: „qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui non, condemnabitur“<sup>4</sup>. Communionem corporis et sanguinis Christi suasi, imo persuasi, petens ut patienter agerent, nos propediem innovaturos. Interim nobis communicantibus etiam Augustinenses utraque specie, ut vocant, volentium aliquot milia participarunt. Regina quoque Danorum<sup>5</sup>, que cum [?] forte fortuna venerat, soror Ferdinandi, me porrigente accepit, quod Ferdinandum pessime habuit. In die Palmarum omnem idolatriam veterem obmisimus, vetante et excommunicationem minitante Episcopo Bambergensi<sup>6</sup>, quem fortiter contempsimus. Desperaverunt plane impii. Nos, modo Deus deinceps iuuet, ut hactenus, omnia pro honore Dei et verbo eius fortiter faciemus et paciemur. Sermones nostros distinximus. Die Lunae Thomas Venatorius in hospitali, Martis apud sanctum Aegidium, Mercurii ego apud S. Laurentium, Jovis apud Augustinenses, Veneris apud St. Sebaldum conciones habemus, tot enim sumus qui evangelium profitemur. Minantur nobis posteaquam discesserunt principes<sup>7</sup> atrocissima, „hi in curribus, alii in equis, nos autem in nomen Domini Dei nostri sperantes

1) Jes. 8, 10.

2) Omnia quae sequuntur ad secunda Comitia Nurenbergensia referenda (Vid. Medicus, Gesch. der evang. Kirche im Königreich Bayern [Erlangen 1863], S. 7ff.). Intravit urbem Campegius (hunc enim innuit) XIV Febr. 1524.

3) 19. und 20. März.

4) Mark. 16, 16.

5) Isabella.

6) Weigand von Redwitz.

7) Recessus comitorum XVIII habitus est Aprilis 1524.

invocabimus“<sup>1</sup>. Senatum jam habemus, quem meliorem optare fortassis possimus, ex omni vero populo meliorem eligere, quod ad verbum attinet, non credo cuiquam possibile. Tranquilla sunt omnia, crescit charitas, detegitur sua sponte abominatio monachorum et sacerdotum, omnia fervent apud nos pietate et verbi studio, apud illos nocendi libidine, atrocitate, livore, et plane tales sumus utrinque, quales agnoscere quilibet posset meliores et hostes verbi. Christum ligneum resurgere non fecimus, neque enim sepelieramus, crucem adorare et circumferre magna crucifixa nolimus, ignem non execrati sumus, non consecravimus volui dicere, asinum et pullum in angulo suo sinebamus latere<sup>2</sup>. Et ut omnia dicam: Si papistae, ut spero, hec inulta permiserint, in libertatem asseruimus et nos et vicinos nostros. Omnia ubique fervent, etiam sub Marchione. Qua propter, ut Dominus confirmet quod operatus est in nobis, pro nobis orate et valete: plura scripsissem, nisi negotia et circumstrepentium exercitus alia et alia postulantium impedirent. Pax Christi vobiscum.

Andreas osiander ecclesiastes.

Norimbergae.

Kiel.

G. Kawerau.

## 6. Velt Dietrich an Joh. Brenz, [Nürnberg] 10. Januar 1546<sup>3</sup>.

S. in Domino. Gratissimum est officium tuum, carissime Brenti, non mihi solum sed et senatui meo, quod tam accurate de vestris rebus nos facis certiores. Allatus erat huc rumor, idque ex vestra urbe, in qua nunc estis, perscriptum huc fuerat, Philippum advenisse. Cum igitur nostri nullo modo defuturi sint suo officio, statim missus est nuntius ad Philippum. Sed singulari consilio factum est, quod Dominus suggestit, ut si Philippus abesset, tibi resignandae offerantur. Heri igitur paulo

1) Ps. 20, 8.

2) Vgl. Braunsch. Lutherausgabe, Bd. III, S. 396 f.

3) Aus dem oben S. 338 besprochenen Aktenhefte des Archivs zu Arolsen. — Interessant sind die Bemerkungen über die wahrscheinlichen Absichten des Kaisers in bezug auf das Regensburger Kolloquium. Sie liefern einen neuen Beweis für die bekannte Thatsache, daß man sich vor dem Ausbruche des Schmalkaldischen Krieges in protestantischen Kreisen vielfach über die wirklichen Absichten des Kaisers gründlich täuschte.